puellarum, quod dicebant Sanctus Brasanus, ~~quod~~
cuius munitio si quando impugnabatur ab hostibus,
fertur quod seipsam movebat machinisque inia-
cientes lapides retorquebat.

MCCXLII°. in partibus aquilonis Tartari vastant Ru-
siam, Gazariam,[x] Sucdaniam, Quotiam, Ciquiam, x f. 158'
Alaniam, Poloniam et cetera regna usque ad XXX
et usque ad fines Theotonie prosiliunt.

XLIIII. pars. De Innocentio papa 4to et depositione
imperatoris et quibusdam incidentibus.

MCCXLIII°. dominus Senebaldus cardinalis, natione Do^us
Ianuensis, in papam eligitur et Innocentius quar-
tus vocatus, de cuius creatione in curia Federici magna
exultatio facta est, quia ipsius erat amicus. Sed impe-
rator asserit eum de cetero non amicum, et ita accidit.
Iste non multo post electionem suam sedes cardina-
lium ~~plurimas~~ plures ex tempore longo vacuas notabi-
libus personis replevit. Romanam ecclesiam a tempore
pape Gregorii multis debitis obligatam per industriam
suam exoneravit. Iste quesivit fere duobus annis
modum pacis, ut finem imponeret tantis malis. ||

Porro rex Lodovicus circa festum sancte Lucie in
lecto decumbens ita insensibilis factus est, ut a multis
mortuus putaretur. Ut autem ex illa extasi ad se
ipsum rediit, crucem transfretandi[a] instanter pro-
tinus petiit et accepit. ||

a) transfetandi c.